

PRÆFATIUNCULA.

Ut Prælectionum mearum principaliora Momenta Auditoribus meis longè observandissimis semper essent præ Manibus, proin efficacius ponderari possent ac retineri; hinc Momentum horum distinctum explicatumque Compendium sub Ratione Thesum publicè defendendarum successivè in Lucem edere meditatus sum, atque reipsa Mihi proposui: Exordium ducendo à *Jurisprudentia naturali privata*, quæ moralē Hominis statum, prout is à juribus naturalibus constituitur ac perficitur, expendit atque rimatur; ubi & Principia theoretica à practicis clarè discernemus. — Progrediendo dein ad *Jus sociale hypotheticum*, illud tum generatim, tum relate ad societates minores exponendo. — Transibimus ab hoc ad *Jus naturale publicum*

seu *universale*, in quo societas civilis, & societates maiores universim perstringuntur. — *Jus Naturæ publicum* excipit *Jus Gentium naturale* seu *universale*, & *hypotheticum* sive *particulare*. — Pro Coronide superaddemus *Jus ecclesiasticum publicum*, ab omni Partialitatis studio remotum, Favore Causaque solius veritatis designando Limites, quos in Hierarchia & Jurisdictione sacra, veluti & inter Ecclesiam & Imperium Superna fixit Auctoritas.

Jurisprudentiæ naturalis *utilitatem* *Necessitatē*que deprædicavi satis, dum dixero, eandem omnium disciplinarum, de instituendis & componendis Moribus sive in sacra, sive in civili societate, per tractantium esse ultimam ac fundamentalem sciti Rationem: nullus proinde in ulla harum scientiarum se se Systematicum dixerit, nisi Jurisprudentiæ naturalis Principiis imbutus fuerit omnimode.

De ea *Simpertus Schwarzhueber* in
oratione, suo Juri naturæ præmissâ, inquit:
„ Hæc est ex omnibus humani Ingenii
„ Disciplinis unica illa scientia, quæ op-
„ bus rectè uti docet, ut eas, si absint,
„ nec avidius quis requirat, nec si acce-
„ dant, augendi Cupiditate, aut amittendi
„ Formidine torqueatur; hæc, quæ Per-
„ turbatricem humanarum Rerum mitigat
„ Ambitionem, ut neque petamus, nisi alien-
„ næ Causâ utilitatis, honores, neque de
„ obtentis insolentius exultemus, nec verò
„ propter negatos beatissimâ Animi Tran-
„ quillitate excidamus; hæc est, quæ con-
„ temtis Voluptatum Illecebris alias pro-
„ pinat eásque perpetuas Delicias ex ipsa
„ virtutis Conscientia haustas utque
„ paucis omnia dicam: hæc est, sine qua,
„ *ex Xenophontis* sententia, vel idipsum,
„ quod optimum est, ad Perniciem, non
„ ad salutem valere potest, hæc, sine qua

„ ne sapientis quidem Nomen meritò quis-
„ quam sibi arrogare potest: namque, qui
„ hujus Præcepta non tenet, temerarius
„ est nimis, ait *Cicero*, si sapientem se di-
„ cere audeat. “ Quare & de eadem hac
sublimi scientia inquit *Gottl. Heineccius.*

„ Nulla est Disciplina, quæ vel re-
„ rum Argumentorūmque Pondere, vel
„ utilitatis ubertate, cum hac Jurispru-
„ dentia naturali ulla ex Parte sit compa-
„ randa..... Sanè ii, qui ad Juris-
„ prudentiæ civilis Intelligentiam Cogita-
„ tiones suas & Studia conferunt, ii
„ magnopere falluntur, si se operæ Pre-
„ tium, sine hac præstantissima Scientia,
„ sperant facturos. “ In Præf. J. n. Pag. 2.

Quoniam porro Authoris adoptati &
hucusque prælecti apud Complures deficit
Copia; hinc post finitas currentis hujus
Anni paschales Ferias, in Commodum D.D.
Auditorum Collegia prælegam juxta pro-
prium Systema hoc & Compendium, à
primis denuo Elementis incipiendo.